

## SCHOLA LATINA VINDOBONENSIS

(semestri hiemali anno 2018/19)

### Quibus?

Haec schola est omnibus destinata, qui prima elementa linguae Latinae iam didicerint et Latinitatem suam, id est facultatem legendi audiendi loquendi, augere et amplificare velint.

### Quid?

Quid igitur faciemus? Est in animo singulis septimanis unum scriptorem praeclarum tractare et ex eius operibus locos praestantes eligere, de quibus lectis disputaturi sumus. Hoc modo non solum linguam ipsam exercebimus, verum etiam venient in conspectum nostrum maxima lumina historiae litterarum Latinarum.



### Ubi et quando?

Die Martis (Dienstag), ab hora prima cum quadrante usque ad horam secundam cum dodrante (13:15-14:45), in aula quae vocatur „Seminarraum“.

### Cur?

Nostris temporibus numerus Latinitatem vivam colentium in dies crescit, quorum haud pauci referunt se ex tempore, quo coeperint Latine loqui, multo melius legere et intelligere posse, itaque multo magis frui studiis suis Latinis. Non igitur loquimur Latine, ut ostendamus quandam vanam doctrinam! Loquimur Latine, ut recta via scriptores eorumque opera aggrediamur et celeriore ac iucundiore modo vocabula et grammaticam memoriae mandemus.

### Quis?

Scholam Latinam moderatur Bernardus Söllradl, qui in universitate Vindobonensi doctorandus carminibus heroicis, praesertim ab Vergilio, Statio, Valerio Flacco conscriptis, operam dat. *Latine loqui* iam multos per annos eius studium excitat, necnon nonnullis scholis aestivis Latinitati vivae dedicatis interfuit. Persuasum habet unamquamque linguam, immo linguas mortuas (quae vocantur) facilius et celerius disci posse, si copia detur linguam viva voce exercendi et experiendi.